

L I T V A N I A E

D E S C R I P T I O S V M M A.



ESCRIBENTIBVS
nobis ea cum dili-
gentia qua potui-
mus tabulam hanc.
Geographicam M.
Ducat. Lituaniae o-
perē pretium visum
est de plaga regio-
nis ac moribus ho-
minum pauca huic tabulae adjicere, quo po-
tissimum occurramus scriptis ac sententiis va-
riorum autorum, qui nonnulla incerta de hac
regione libris suis tradiderunt, quę nos, totam
fere eam̄ describendi causa peragrantes, scri-
ptis illorum non modo non consentanea, sed
& adversantia comperimus.

Magnus Ducatus Lituaniae est regio am-
plissima ac nobilissima: & stagnis piscosis, la-
cubus, magnis ac celeberrimis fluminibus ir-
rigatur, quorum præcipui sunt, iique naviga-
biles, Chronon, qui nunc Niemen dicitur, Ru-
bon, nunc Dzwina appellatus, Borysthenes,
Dniepr vulgo nuncupatus, Bugus, Pripetius,
Vilia, Berezhyna, Szczara, Swieta, Nieviaza,
Swislocz, Slucza, Lania, &c. Nemoribus per-
oportunis referta, quæ maximum in venatio-
ne ac mellis productione fructum gignunt, &
ex quibus materia pro navibus, domibus &
cinere conficiendo affatim su ppeditatur. Hæc
autem regio facilem ad se aditum omnibus ex
partibus via certa minimeque impedita (con-
tra aliorum scriptorum sententiam, qui eam
nisi hyeme accessam tradunt) præbet: nam
viator ex Polonia iter faciens ne plantam qui-
dem pedis (ut ita dicamus) aqua immergeat.
Frumenti omnis generis feracissima, ejusque
segetes ad maturitatem semper deveniunt:
cujus fertilitatis ac ubertatis Regiomontum
& Riga emporia celeberrima testimonium
exhibere possunt, quæ frumenta ex Lituania
navibus advecta regionibus transmarinis im-
partiuntur. Quare magna nunc sunt Lituaniis
cum cæteris gentibus variarum rerum com-
mercia. nam præter frumenta omnis generis,
filiginem videlicet, triticum, hordeum, &c.
etiam linum, canabis, coria boum, sebum, ce-
ra, cinis, pix, pelles quoque ferarum, martum
præsertim, castorum, vulpium, & multa alia
hinc exportantur. Auri, argenti, æris fodinas
licet non habeat, eorum tamen sufficientiam
semper & habuit & nunc habet: neque res
(ut quidam scribunt) pro rebus mutant, nisi
quod aromata, & varia eduliorum condimenta,
potus varietas, una cum pannis aureis &
sericeis hanc gentem vehementer exhauriāt.
Civitatibus, opidis & pagis hæc regio nunc est

EVR. OR.

frequentissima, quarum primaria est Vilna
caput totius regionis, urbs celebris & amplis-
sima, in circuitu cum suburbis circiter duo
milliaria Germanica cōplete tens, ad con-
fluentem Viliae & Vilnae fluviorum sita; quo-
rum hic qui urbi nomen indidit minor, ille au-
tem & major & navigabilis, qui emensis infra
Vilnam quatuordecim milliaribus apud Kau-
nam Niemeni commiscetur. In ipsa urbe pluri-
ma ædificia, tam publica quam privata, insi-
gniter extructa conspicuntur: nam domus li-
gneæ paucæ hac tempestate, eaque in anfra-
ctibus, angulis, & suburbis extant. Arces quo-
que duas non tam firmas quam splendidas ha-
bet, unam in colle Tur dicto, tempore Paga-
nismi extructam, sed jam ex parte ob vetusta-
tem collapsam, alteram in plano, ubi Vilna
fluvius Viliam influit, in qua Episcopalis Ec-
clesia ingenti sumptu extructa & S. Stanisla-
dicata, sita est. plurima præterea reperiuntur
in hac urbe templa Romanę obedientiæ, &
Ruthenorum ritus, non exiguis sumptibus fa-
bricata. Academia quoque Societ. Iesu pluri-
mis artibus ingenuis floret. Metropolitanus
Ruffi ibidem fedem suam habet in Basílica
Græci ritus, titulo D. Mariæ Virg. insignita.
Sunt in hoc Ducatu & alii Episcopatus Ro-
manæ religionis, Samogitensis & Ianoviensis,
qui idem est qui Luccensis. sunt & Græcae re-
ligionis Episcopi, quos vulgo Wladikas appel-
lant, qui subsunt Ecclesiæ Romanę, cuius obe-
dientiæ anno 1596 Bressia se submiserunt, Po-
locensis scilicet & Pinsensis. Florent quoque
duo alia Collegia in hoc Ducatu, Polocense,
quod Rex Poloniæ Stephanus, partis pluri-
bus de Moscho victoriis fundavit, & Nesve-
siense à Duce ejusdem civitatis extructum.
Non postremæ etiam dignitatis Troki, Kow-
na, Grodna, Bressia, Polockum, Minsk,
Mohilovum, Nowogrodek, Regiæ, Slucz-
kum Nesvisum & Birre Ducum, sunt civi-
tates. In minoribus oppidis rarius hypo-
caufa reperies, nam fornacis loco furnos
ad coquendos cibos & panes intus extruunt,
(ut in vicinis aliis provinciis) fumariis ma-
gna ex parte carentes, hinc calorem exci-
piunt, fumus tamen foribus & fenestra studio
ad id in cacumine ædificii confecta exit, nec
quenquam (ut quidam volunt) excæcat:
idem fit in pagis, præter prædia ac domos no-
bilium, quæ multo cultiores, & ampliores esse
solent. Magnates vero palatia & arces, pul-
chras omnibusq; ornamētis extraneis variaq;
supellectili exornatas habent, quarum ali-
quæ muris, vallis & plurimis tormentis belli-
cis refertæ sunt. Samogitæ agrestes, qui villas

Aa

inc-